

7. Sekundärliteratur

Die Missionsgedanken des Freiherrn von Leibnitz. Eine Studie.

Plath, Karl Heinrich Christian

Berlin, 1869

ANHANG. PHARUS MISSIONIS EVANGELICAE

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

ANHANG.

PHARUS MISSIONIS EVANGELICAE

seu consilium de propaganda fide per conversionem ethnicorum maxime Sinensium prodromus fusioris operis ad potentissimum regem Prussiae Fridericum, in quo veritatis demonstratio, causae moventes, conversionis praeparatoria, tentamen legationis evangelicae, subsidia necessaria, obstacula, ut et modus conversionis et conversorum conservatio primis fundamentis delineantur et censurae societatis Brandenburgicae scientiarum ut et eruditorum omnium et piorum seriae deliberationi subiciuntur.

Circa conversionem ethnicorum notanda veniunt sequentia. Veritatis demonstratio. Quod speranda sit ultimis hisce N. T. temporibus universalis gentium conversio, probatur dictis V. T. Genes. IX. 27: Alliciet Deus Japhetum, ut habitet in tentoriis Schemi, eritque Canaan servus eis. Gen. XVII. 4: De me, ecce foedus meum tecum, quod pater futurus es multitudinis gentium. Gen. XLIX. 10: Non desistet tribus e Jehuda, neque legislator e medio pedum ejus, usque dux venturus erit filius ejus, et erit ei obedientia populorum. Num. XXIV. 23. 24: Denique proferens sententiam suam dixit: Eheu, quis vivet, ex quo disposuerit hoc Deus fortis? Sed cum naves a littore Cittaeorum solvantes affligerint Assyrios, et affligerint Hebraeos, tunc etiam populus ille in perpetuum peribit. Deut. XXXII. 21: Ipsi commoverunt me ad Zelotypiam per ea quae non sunt Deus fortis, provocarunt me vanitatibus suis: Ego quoque ad Zelotypiam vocabo eos, per eum, qui non est populus, per gentem stultam provocabo eos. Psalm. II. 8: Pete a me, et donabo gentes in possessionem, nam et fines terrae possessionis tuae. Psalm. VIII. 2: Jehova domine noster, quam magnificum est nomen tuum in universa terra, cui exponis super coelestem decorem tuum. Psalm. XXII. 28. 29: Recordabuntur et convertentur ad Jehovam omnes fines terrae, et incurvabunt se coram te, exhibentes honorem omnes familiae gentium, quoniam Jehovae est regnum ipsum, et dominium habet in gentes. Psalm. XLV. 17. 18: Loco parentum tuorum erunt filii tui, praepones eos principes in omni terra. Memorabo nomen tuum in unaquaque aetate, idcirco populi celebrabunt te in seculum et sempiternum. Psalm. L. 1: Deus fortis, Deus Jehova eloquitur, et inclamat terram ab ortu solis usque ad occasum ejus. Psalm. LXVIII. 15. 18: Cum expanderit omnipotens Reges in hac terra, niveus eris in Tzalmone monte maximo, monte Bosanis, monte frequente gibbis, monte Baschanis etc. Psalm. LXXII. 7—11. 17—19: Florebit temporibus ejus justus et ampli-

tudo pacis, donec non sit luna, et dominabitur a mari uno ad alterum, et a flumine, quaque sunt fines terrae etc. Psalm. LXXXII. 8. Surge o Deus, judica terram, tu enim possessionem habes iudiciorum in omnibus gentibus. Psalm. LXXXVI. 9: Omnes gentes quas eis afficis venientes incurvant se coram te, Domine, et honorem habent nomini tuo. Psalm. XCVI. 10: Dicite in gentibus, Jehova regnat, etiam stabilietur orbis habitabilis ne dimoveatur, judicaturus est populos rectissime. Cantic. VIII. 11—14: Vineâ fuit Salomoni in Baal Hamon tradiditque vineam illam custodibus, ut unusquisque adferret pro fructu ejus mille argenteos. Vineâ mea, quae mea est, ante me est: mille tibi, o Salomo, et ducenti custodibus cum fructu ejus. O habitatrix hortorum, socii advertunt vocem tuam, quam me vellem audire. Fuge dilecte mi et similis esto capreae aut pullo cervorum in montibus aromatum. Es. II. 2. 3. 4: Erit ergo, ultimis temporibus, ubi constitutus fuerit mons domus Jehovae in vertice aliorum montium et elatus supra colles, ut confluant ad eam omnes gentes. Es. XI. 6—10: Quapropter commorabitur lupus cum agno et partus cum hoedo recubabit, vitulusque et juvenis leo ac pecus pingue simul erit, et puer parvulus Dux inter eos futurus est etc. Es. XXXV. 7. 8. 9.: Abiisse torridum locum in stagnum et siticulosum in scatirigines aquarum, in caula Draconum, cubili cujusque gramen esse cum arundine et junco. Et erit illic agger et via quae via sanctitatis vocabitur, qua non transibit pollutus sed erit istorum viator, ne stulti quidem poterunt deerrare. Non erit ibi Leo, et violentia, ulla fera non conscendet eam; non invenietur ibi sed ambulabunt ea vindicati. Es. XLIX. 6—18—21: Dicit, inquam, levior videris, quam ut sis mihi servus, ad erigendum tribus Johacobi et custoditos Israelitas reducendum? ergo constituo te in lucem gentium, ut sis salus mea, usque ad extremitatem terrae. Attolle circumquaque oculos tuos, et vide, isti omnes congregantes se accedunt tibi, ut vivo ego, dictum Jehovae, istis omnibus tanquam ornamento vestieris, circumligabis eos tibi tanquam sponsa. Adeo ut dicas cum animo tuo, quis genuit mihi istos, cum fuerim orba et solitaria? huc illuc migrans, aut fugitiva fui, et istos quis educavit? En ego relicta fui sola, isti ubinam fuerunt? Es. LII. 10: Nudat Jehova brachium sanctitatis suae ante oculos omnium gentium, ut videant omnes fines terrae salutem Dei nostri. Es. LV. 4. 5: En testem nationum constituo eum, antecessorem et Praeceptorem nationum. En gentem, quam non agnoveras, vocabis, et gentes quae non agnoverant te, ad te occurrent propter Jehovam Deum Tuum, et ad Sanctum Israelis cum ornaverit te. Es. LVI. 7. 8.: Adducam quoque ipsos ad montem sanctitatis meae, et lactificabo eos in domo orationis meae, holocausta eorum et sacrificia eorum accepta erunt in altari meo, nam domus mea domus orationis vocabitur omnibus populis. Dictum Domini Jehovae congregantis depulso Israelis; illos amplius aggregaturus ei sum ad aggregatos ejus. Es. LX. 2.: (Nam ecce! tenebrae operiunt terram et caligo nationes) et super te orietur Jehova, et super te gloria ejus conspicua erit. Es. LXVI. 18. 19. 20: De me autem, cum factorum erga

hos, cogitationumque erga hos quaeque adveniet, congregando omnes gentes et linguas quae venientes visurae sunt gloriam meam etc. Jer. XVI. 19.: Jehova, robur meum, et munitio mea, profugumque meum in die angustiae, ad te gentes venient e finibus terrae ac dicent, utique falsum majores nostri, vanitatem et inutilia. Jerem. XXX. 9.: Quod erit mihi celebri gaudio, laudi et ornamento apud omnes gentes terrae, quae audient totum hoc bonum, quod ego facturus sum illis, et expavescentes commovebuntur ad totum illud bonum, et ad totam illam pacem, qua ego affecturus sum illum. Dan. VII. 27.: Regnum dominatusque et amplitudo regnorum, sub toto coelo dabitur populo sanctorum excelsorum, cujus regnum erit perpetuum, et omnes Dominationes et servient et auscultabunt. Joel III. 2.: Congregabo quoque omnes gentes et deducam eas in convallem Josaphati, ut disceptem cum eis ibi cum populo meo, et possessione mea Israël, quod disperserint eum per gentes, et terram meam partitae fuerint. Zephan. II. 11, 12: Terribilis erit Jehova in eis, cum emaciabit omnes Deos terrae, et incurvabunt se honorem habentes ei quisque e loco suo omnes regiones gentium. Hagg. II. 7.: Et commoturus sum omnes gentes, ut veniant desiderati omnium gentium, et impleturus domum hanc gloria, ait Jehova exercituum. Zach. VIII. 20—23: Sic ait Jehova exercituum: adhuc erit, cum venient populi, et habitatores civitatum multarum etc. Malach. I. 11: Nam ab ortu solis usque ad occasum ejus magnum erit nomen meum in gentibus, et in omni loco suffimentum afferretur nomini meo, et munus purum; quia magnum nomen meum erit in gentibus, ait Jehova exercituum. Dictis N.T. Matth. XXIV. 14, 30, 31: Et praedicabitur istud Evangelium regni, in toto terrarum orbe, ut sit testimonio omnibus gentibus, et tunc veniet finis. Et tunc conspicietur signum filii hominis in coelo. Et tunc plangent omnes generationes terrae, et videbunt filium hominis venientem, super nubes coeli, cum virtute et gloria magna. Et mittet angelos cum tuba magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summitate coelorum, usque ad summitem illorum. Matth. XXVIII. 19: Ite ergo docete omnes populos, et baptizate eos in nomine Patris, Filii et Spiritus S. Joh. X. 16: Sunt autem mihi etiam oves aliae, quae non fuerunt ex caula hac atque etiam eas oportet me adducere, et audient vocem meam, fietque totus grex unus et unus Pastor. Act. I. 8: Sed recipietis virtutem Spiritus S. postquam supervenerit in Vos, eritisque mihi testes et Hierosolymis et in tota Judaea et Samaria, et usque ad ultimas terras. Act. X. 11, 12: Et vidit coelos apertos, et vas quoddam devinctum quatuor angulis, et simile erat linteo magno, ac demittebatur e coelo super terram. Et erant in eo omnia viventia, quadrupedia et reptilia terrae, et volucres coeli. Rom. XI. 25: Volo autem, ut sciatis, fratres mei, mysterium hoc, (ut non sitis sapientes in cogitatione animae vestrae) quod coecitas cordis ex parte aliqua facta fuit Israël, donec ingrediatur plenitudo gentium. Apoc. XV. 4: Quis non timebit te Domine, et glorificabit nomen tuum, nam solus sanctus, quem omnes gentes adorabunt. Apoc. XXI. 10, 17, 24: Et exportavit

me per Spiritum in montem magnum et sublimem, et ostendit mihi civitatem illam magnam, sanctam inquam illam Hierusalem, e coelo descendente a Deo etc. et gentes ambulabant in luce etc. Ex scriptis Patrum petitis testimoniis et consensu Theologorum 1. Romanorum, 2. Lutheranorum, 3. Reformatorum.

Quod in specie orientalium Ethnicorum et maxime Sinensium conversio speranda sit probatur. Quia a Prophetis praedicata Psalm LXXII. 11: Aeges, Oceano accolae et insulani munus reddent, regis Schebae et Sebae, donarium offerent. Psalm LXXXVII. 4—6: Memoro Aegyptium et Babylonium apud noscentes me, ecce Palaestinam et Tyrium cum Aethiope, hunc genitum ei ibidem. Ideo de Tryone fore ut dicatur, hic et ille vir genitus est in ea, ipsumque stabiliturum eum excelsum. Jehovah annumeraturum conscribendo populos, hic genitus est ibidem excellentissime. Es. XIX. 23: Tempore illo erit agger ex Aegypto in Assyriam quo commeent Assyrii in Aegyptum, et Aegyptii in Assyriam, ut colant Aegyptii cum Assyriis. Es. XLII. 11: Attolant vocem desertam et civitates ejus, villae, quas inhabitat Kedar, canant habitatores Petrae; e vertice montium vociferentur. Es. XLIX. 12: Ecce isti e longinquo venient. Ecce quoque illi ab aquilone et ab occasu, denique isti e terra Sinecorum. Es. LIX. 19: Ut reveantur inde ab occasu nomen Jehovae et inde ab ortu solis, gloriam ejus, cum invadente tanquam fluvio hoste Spiritus Jehovae contra eum incurrerit. Es. LX. 4—15: Attolle circum quoque oculos tuos et aspice, omnes isti congregantes se accedunt tibi, Filii tui e longinquo adveniunt, et filiae tuae ad latus, tanquam a nutricibus apportantur etc. Es. LXVI. 19: Ponam in his signum, et mittam ex his, qui evaserint ad gentes, in Oceanum, Pulem, et Ludam jaculantes arcu Thubalem et Javanem etc. Zach. VIII. 7: Sic ait Jehova exercituum, ecce ego servaturus sum populum meum, e terra Orientis, et e terra occasus solis. Malach. I. 11: Nam ab ortu solis usque ad occasum ejus magnum erit nomen meum in gentibus, et in omni locum suffimentum afferetur nomini meo, et munus purum; quia magnum nomen meum erit in gentibus, ait Jehova exercituum. Quia futurae conversionis praeludia jam dedit Deus non flocci pendenda ut fundata commercia, confederationes cum Christianis, Pontificiorum tentamina sat felicia, et populorum orientalium maxime Sinensium ingenia docilia saniorum scientiarum capacia. Tandem et eo tendunt Theologorum cordatorum nostri aevi pia desideria; quod excerptis literariis probabitur.

Quod vocatio gentes convertendi etiam ad nos pertineat probatur sequentibus argumentis. Vivimus ultima N. T. tempora, quibus dicta Prophetica de universali gentium conversione agentia *καὶ ἐμπεσον* implenda. Gentium conversio praecedere debet Conversionem Judaeorum juxta Dent. XXXII. 21. Rom. XI. 25. Hinc in cassum laborabitur in reductione Israël, nisi viarum Dei methodus observetur et gentium plenitudo armis militiae nostrae Spiritualibus intrare compelletur. Praeter dicta superius allata nos movere debent Dei mandata Luc. XIX. 10. 1. Thess. 1, 8. 1 Petr. 2, 17. Luc. XIV. 23. maxime illud Catho-

licum Matth. XXVIII. 19. quod non unius seculi opus est, sed omnium per quae promisit adesse Christus, et praecipue ultimae instantis N. T. periodi. Et quidni munus applicarem sanctae molis operi, pro executione ejus quod in dies petimus. Matth. VI. Veniat regnum tuum, fiat voluntas tua. Charitas proximi, quae per leges tum naturae tum Scripturae nos obligat, jubet nos sollicitos esse de liberatione animarum e tenebris Ethnicismi, si enim detestamur ruditatem Levitae et Sacerdotis, saucium praetereuntium, quidni sequeremur pietatem Samaritani? Suadent exempla Apostolorum maxime Pauli industria, cujus imitatores esse jubemur, Petri, qui conversus fratres corroborare jubetur, et aliorum virorum Apostolicorum, qui per saxa, per ignes, et horrida viarum successu haud contemnendo faciem Evangelii accenderunt. Pia molimina Christianorum, futurae messis praeliminaria, nos excitare debent, quantos fecerint progressus auspiciis Regum Galliae, Hispaniae et Papae, Theologi Pontificii, et prae aliis Jesuitae, loquuntur historia, quid non sperandum a purioris doctrinae Christianis? Tentarunt idem ex Reformatis Genevenses et Angli in America, et Belgae in Orientali India, quanto majori cum successu tentabitur concurrentibus omnibus requisitis temporis, personarum et subsidiorum. Viam nobis aperit Deus per commercia populorum, Confoederationes Principum, et facilem apparatus mediorum, quibus conversio Gentium promoveri poterit; quam apertam Evangelii portam nolle intrare quid aliud esset, quam ignaviae, in credulitatis, immisericordiae et impietatis notam incurrere. Metuendum ne cunctantes Deus protrudat aliquando foras persecutionibus et domesticis calamitatibus, qui sponte praesentia Dei consilia et mandata prompto exsequi obsequio tergiversamur.

Quod potentissimus Borussiae Rex et S. Elector Brandenburgicus multum contribuere possit ad convertendos Ethnicos in extremis Moscoviae et Chinae. Propter pietatem, et singularem pro Dei gloria promovenda zelum, quo Sacra ejus Regia Majestas flagrat, et ad magna quavis pro incremento Ecclesiae suscipienda, coelitus vocata. Propter selectam Consiliariorum et Ministrorum quibus pietas et gloriae divinae promotio cordi est, qui pro eruditione ac pietate nil intentatum linquent consiliis et auxiliis, ut regnum Christi veniat. Propter fundatam nuper Societatem Brandenburgicam, quae non solum culturam scientiarum, et Missiones intendit literarias, Physicas, Geographicas, sed etiam Evangelicas, quod ex diplomate foundationis et instructione societati data patet, in qua inter alia haec ad Rhombum nostrum facientia extant, verba auro contra cara: *Bei welcher Gelegenheit auch dahin zu trachten, wie denen Barbarischen Völkern in solchen Quartieren bis an China das Licht des Christenthums, und reinen Evangelii anzufinden und in China selbst von der Land- und Nord-Seite denen Seewerts einkommenden Evangelischen hierunter die Hand geboten werden könnte &c.* Cum igitur pia mens hac sedeat tot Viris egregiis de Ecclesia et republica literaria optime meritis, vis haec unita fortius aget, quam unquam privati, (qui Principes et magistratus scriptis suis ad expedienda consilia tam salutaria excitare

jam toties tentaverunt) et nervum rerum gerendarum ex fundo locupletissimo suppeditabit, exoptatum pro futura salute animarum nobis D. V. promittimus successum. Propter intimam et confoederatam Caesaris Moscoviae cum Regia Majestate Brandenburgica amicitiam, quae non sine fatali Dei providentia, dum praesens esset Ao. 1698 in Prussia fundata, et legationibus confirmata, ita ut jam concesserit Caesar omnibus Subditis Brandenburgicis liberum commercium et privilegia cum Moscoviticis Subditis communia, et certa nobis spes sit plenariae concessionis, per diploma Caesaris manu et sigillo confirmatum impetrandae ad adeundos Chineses. Cum igitur per Moscoviam via brevior et commodior detur ad magnum imperium Sinensium, quod Belgae Galli et alii maximis sumtibus vitaeque periculis terra marique per horrida Arabiae deserta adire vel frustra vel magno sumtuum et temporis dispendio tentaverunt, et difficulter impetraverunt viam nobis apertam Evangelii monstrat Deus, quam Moscovitarum Caravanae quotannis terunt. Haec et a nobis minoribus sumtibus spe spiritualis lucri terenda est via, eo, quod non solum Moscoviae ultimae regiones, et ditiones immediate ad Chinae fines se extendant, per quas facilius patebit aditus, verum etiam, quod propter confoederationem Sinensis Imperatoris cum Caesare Moscoviae quae per rationes utriusque status toties confirmata, et sarta tecta tenetur, advenis nostris Europaeis liberior accessus detur ad intima regni penetralia. Tandem propter Borussiae situm et bonae terrae, quae prae omnibus aliis accolis maris Baltici electri copiam quotannis tradit, quibus mercibus (quas orientales et maxime Chineses unice desiderant et magni faciunt) mutua commercia perque ea commercia spiritalia facillime stabiliri poterunt. Concurrentibus igitur tot egregiis mediis et subsidiis, quis negabit potentissimum nostrum Regem et S. Electorem a coelo vocari ad expeditionem hanc sacram instituendam. Agedum tentent Angli Evangelii propagationem in India occidentali, curent Belgae conversionem Ethnicorum in India Orientali, nostrum erit Sinensium conversionem intendere.

Finis Legationis esto Primarius: Dei gloria. Ad hanc conversionem gentium promovendam vocant nos sanctissimi Numinis attributa, Theologorum officium, et cujusvis Christiani conscientia ut summum illud bonum cum iis communicetur, qui nefando haecenus idolorum imo Daemonis cultu miserrime litant. Animarum salus, quis enim negabit seria Dei mandata Matth. VII v. 12. Matth. V. 7. Matth. XXV. 35. 36. nos obligare ad quaerendas animas aeternae condemnationi proximas, paramus naves ad apportandas merces et divitias, quidni applicaremus animam ad lucrandas animas, maxime cum aeterna salus superet parasangis infinitis divitias mox perituras, et unica anima e Satanae rictu liberata praeponderet navem delicatissimis Orientis divitiis onustam. Nae si animarum ex Ethnicismi tenebris liberationem ulterius differemus Christiani, certe in extremo judicio damnandi insurgent Ethnici, Va et Ah contra nos clamabunt, et immisericordiae reos nos agent coram iudice iustissimo calvas excusationes ferre nescio. Secundarius Finis Salus Reip.

quae ut Suprema Lex est, in jure publico, sic eandem conversione gentium promoveri in republica tum convertente, tum convertenda firmiter credimus. Nam cum non omnia omnis ferat tellus, commerciiis mutuis juvabuntur regiones, ad cultiorem vitam redigentur Ethnici, non solum moratiores, sed etiam ii, qui hactenus belluarum instar conveniunt, et qui opimis terrae bonis vel non vel male utuntur, ad legitimum donorum usum adducentur, vitae, sanitatis, tranquillitatis et pacis consilia a nobis discent, nec nos pudebit a populis nonnullis politioribus vicissim didicisse regulas in statu politico, oeconomico proficuas. Imo adhuc majus quippiam sperare audeo, ex missionibus nostris Evangelicis, scilicet unionem religionum dediscant enim iis in locis minutias quaestionum minus Cardinalium protestantes, in quibus sine disputandi pruritu unice de animarum salute res agitur juncta manu promovenda, dabit et Deus ut ad saniolem mentem redeant Pontificii exemplo Missionariorum suorum, qui non quisquillas Camerae Romanae vendiderunt, sed simplici animarum lucro juxta normam Scripturae S. pie fuerunt intenti.

III. Praeparatoria futurae missionis Evangelicae fiant Academia vel Seminario Missionariorum cujus notanda veniunt personae dirigentes, docentes, et docendae. Dirigentes hoc magnae molis opus erunt. Fridericus Rex noster potentissimus et S. Elector, a cujus potentia et pietate nobis pollicemur in Legationis adornatione, protectione, et tempestivis mandatis, exoptatum pro dilatatione Ecclesiae Dei successum. Societas Brandenburgica sub ejus umbone erecta. Ea enim cum membra habeat in omni literatura et scientiis versatissima, et rerum exoticarum gnara consiliis et auxiliis causam Dei promovebit. Docentes hujus Academiae erunt Professores diversorum locorum, facultatum et scientiarum selectiores, qui pro donis suis teneantur ex studiosorum numero aptissimos aliquot seligere, et studiis ad scopum faciendis imbuere et praeparare. Cum vero non his (?) eruditio Academicis sit alligata, sed et alibi dentur Viri docti, qui pro eruditione sua quicquam contribuere potuerunt, eorum quoque informationi et pietati conceduntur aliquot Subjecta, quae sedula praeparabunt informatione totidem futurae missionis membra. Docendae Personae sunt Studiosi ex turba Academica selectissimi variarum scientiarum et facultatum a Professoribus commendati, a Societate examinati et approbati, non infimae sortis, sed optimi et capacissimi ingenii, adulti, nullo scandalo infames, pietate conspicui, vitae modestia probi, curis domesticis non intricati, corpore sani et zelo fervidi, non avari, nec superbi, mundum et delicias mundanas abnegantes, et sincera pietate gloriae Dei et animarum saluti devoti, futurae missionis Candidati. Studia missionariorum nostrorum erunt scopo accommodata, pro ingeniorum inclinatione distributa. Studium Linguarum maxime excolendum erit missionariis nostris trium principalium Linguarum utpote Latinae, Graecae et Hebraicae probe gnaros praesupponimus Candidatos nostros, quibus addere oportebit Studium linguarum iis in locis, ad quae tendimus, usitatarum, utp. Moscovitica, Sinica, Arabica etc. Nec difficultas linguarum Studiosos nostros deterreat, labor improbus

omnia vincit, spatio aliquot annorum *γλῶσσοις* si non ad consummatam, saltem tantam harum linguarum cognitionem pervenire poterit, ut animi sensa proferre possit, perfectionem iter et praxis dabunt. Docendae sunt hae linguae a Professore illarum probe gnaro qui optima methodo earum faciliet intellectum, cui adjungendus, si haberi poterit interpres, qui jam in Moscovia vel China vixit in linguis illis versatissimus, qui ad praxin et colloquia studiosos fundamentis adjutos quotidiana et sedula informatione ducat. Studium Theologicum solide et pie pertractandum. Theologos missionis nostrae bene oportet esse fundatos in Theologia Didactica ad manifestandam veritatem et conscientias hominum; Elenctica, ut parati sint ad bella Jehovae maxime contra Adversarios in futuris nostrae missionis locis obvios, ut Pontificios, Graecos, Ethnicos, Mahomedanos gerenda, et Practica, ad persuadendos Auditorum animos, eosque Christo lucri faciendos. Studium Philosophicum non negligendum, praecipue Physicum et Ethicum, quibus moratorum Ethnicorum animi sensim demulcentur, et ad majora praeparantur. Mathematicum maxime commendatum est, quantum profecerint hujus Studii ope Romanorum Missionarii loquuntur historiae, hinc optimi ex Academicis seligendi mathematici, qui Subjecta tradant in Mathesi Pontificios si non superantes, saltem palmam facientes dubiam. Eo vero summopere respiciendum erit ut fundamenta theoretica ad praxin applicentur experimentis Physicis, Mathematicis, Oeconomicis ostendendo, quanta per solidam scientiarum cognitionem in remp. redundet utilitas. Quid juris et Medicis Consultis incumbat, dabunt harum facultatum Professores, qui Studiosos eorum informationi concreditos instituent pro scopo, ut medici scientiam suam morbis iis in locis obviis accommodabunt, sic juris consulti juris naturae et gentium tractatione fere omnem absolverent operam. Subsidia necessaria sunt: Sumtus pro excitandis informatoribus, sustentandis alumniis et comparandis libris, quorum sumtuum fundus inferius assignabitur. Supellex Librorum ad Studia solidiora Missionarii nostris necessaria comparanda ex bibliothecis publicis suppeditanda. Pro varietate studiorum varii usu venient Libri quorum selectum et usum Professores Academiae nostrae dabunt. Commendamus interim autores, qui ex professo contra Ethnicos scripserunt, inter Patres eminent Justinus Martyr, Athanagoras, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, Tertullianus, Minutius Felix, Origenes contra Celsum, Cyprianus, Arnobius Afer, Lactantius, Augustinus etc. Vel qui de missionibus constituendis et Gentibus convertendis dedere consilia, vel relationes posteritati reliquerunt ut inter Pontificios Joseph a Costa de procuranda Indorum salute, Thomas a Jesu de conversione gentium. Bartholomaeus de las Casas de destructione Indiarum. Trigantius de expeditione ad Sinas. Riccius. Pater le Comte in Relationibus Sinicis. Xaverius. Rovenius de missionibus ad propagandam fidem. Petrus de la Cavalleria Zelotes Christi contra Judaeos Saracenos et Gentiles. Ludovicus Granatensis ad Symbolum fidei. Fridericus Lumnus de extremo judicio et Indorum vocatione, Antonius Possevinus de juvandis Indis.

Hieronymus Savaronola. Ex Lutheranis Johannes Micrelius Stetinensis in Ethnophronio. Justinianus Baro, libro cui titulus: *Ernsthafte Ermahnung an alle Evangelische Obrigkeiten und Prediger die Befehlung ungläubiger Vöffer vorzunehmen*. Leibnizius dedit novissima Sinica. Ex Reformatis Justus Hearnius de Legatione Evangelica ad Indos capeßanda. Le Maire astrum gentilismi. Hombek de Conversione Indorum et Gentilium. Tandem et ex itinerariis multa missioni nostrae utilia addisci poterunt; videantur Neuhoff, Dupper, Della Valle. Favernier, Baldaeus etc. commercium literarium instituendum. Cum Viris doctis et piis per varias Europae Academias et urbes, quorum judicia et consilia colligenda. Cum aecolis et incolis regionum convertendarum. Alendi peregrinis in locis fidi relatores, qui statum regionum et incolarum referant, et sua aperiant consilia, quibus proficui quid illis in locis praestari possit. Legibus certis Academia nostra firmanda, quas societas et tempus dabunt.

Tentamen Conversionis per Legationem Evangelicam: hujus observandae veniunt personae variae conditionis facultatum, scientiarum et artium ut Viri politici, quorum princeps legatus. Hic pro autoritate principis sui tanquam caput legationis in via procurabit subsidia itineris, dabit praesidium defensionis, et erit Pastoribus et Missionariis nostris, quod David Samueli, Josias Jeremiae, Hiskias Esaiæ, Constantinus Silvestro, Theodosius Ambrosio, ac praeter ea, quae habet in commissis propagationem Evangelii pro prudentia sua stabilire conabitur. Jurisperiti, in jure naturae et gentium probe versati qui quaestiones sui fori decident et Consiliis salutaribus Missionarios nostros secundabunt, ut et politica sua eruditione et conversionis suada principum corda lucrari conabuntur. Secretarii et scribae in variis linguis versatissimi, qui commercium literarium diligenter curabunt, et acta legationis societati referent. Itidem scriptis communicabunt cum aecolis et incolis, quod tam prompto ore proferri nequit, et quicquid ullo modo officii sui erit sedula manu praestabunt. Ecclesiastici sunt: Pastor aetate gravis, eruditione eminens, prudentia Theologica clarus, pietate insignis, a societate reliquis ministris missionis praepositus, qui res Ecclesiasticas pro pio arbitrio diriget, controversias modeste decidet, charitatem fraternam sine ullo superbiae fuco alet, et junioribus consiliis suis succurret. Reliqui ministri sacri, necessariis scientiis et doctrina imbuti, corpore sani, et mente generosi, in exsequendis consiliis prompti, labore indefessi, vita probi et exemplares, animarum quovis modo licito salutem procurabunt assidui. Medici, qui arcana sciant morbos curandi obvios, aditum et hi parabunt, si grandiores decumbant, quorum cura magnatum captabitur benevolentia, itidem cum aegrotis, quos morbus rebus divinis reddidit attentos, disserentes, si non corpus medicamentis, saltem animam piis remediis lucrari conabuntur, nec forte arcana nobis hactenus incognita ab abjectis illis populis, ut olim ab Arabibus didicisse pigebit nostros Galeni, Hypocratis et aliorum avorum filios. Mechanici in legatione nostra usum praestabunt non postremo habendum. Quid enim praesti-

terint Jesuitae inventis suis mathematicis, experientia testatur, Astrologiae debent aditum usque ad ipsa imperii Sinensis penetralia, inventis militaribus debellationem moenium Gentilismi, Geographiae qua orbis cognitionem docuerunt Chineses; Stemmatum Christiani Israëlitis inter Ethnicos illos Cananitas distributionem. His si accesserint pictores artificiosi, automata ingeniosi, artisque vitariae, aliarumque scientiarum illis in locis hactenus minus cognitarum vel excultarum gnari, et hi suppetias ferent legationi nostrae maiora quaerenti. Negotiatores legationis nostrae socios agnoscimus proficuos non solum pro facilitandis sumtibus, sed etiam pro stabiliendis commerciis per terrena spiritualibus. Innata enim est omnibus populis peregrini quid et aliis ex locis adveni habendi et comparandi sibi libido, lucrum pro scopo habent, nunquam non mercatores, habeant et nostra pro scopo lucra legitima sed animarum incomparabili superponendo sanctificata. Milites agmen claudant nostrae missionis, ut quidem arma militiae nostrae non sint carnalia, sed spiritualia, nec ferro sed verbo propaganda fides, non tamen scripturae contraria sed secunda in tam longa et periculosa peregrinatione proficua, et ad tutelam convertentium et conversorum a Barbarorum invasionibus licita dabunt praesidia, Christianis nostris defeusionem non rejicientibus.

Media ad executionem missionis Evangelicae necessaria sunt: Pecunia, sine qua nec supra dicta fieri poterunt praeparatoria, nec ipsa missio institui, vel ultra lares transferri, praedae huic inhiat omnis populus Tros Rutilusque fuit, sine pecunia vix viam monstrabit rusticus nec transitum permittet telonarius, nec aquam porriget, panemque caupo, quibus igitur modis parabitur hic rerum gerendarum nervus? Ad hoc alicujus momenti obstaculum removendum notent sequentia. Deus supremus Director, qui Apostolos suos sine pera exire voluit pauperulos, et hic nobis causam suam agentibus providebit. Principis cura et autoritas Legati sui qui jure populorum cum comitatu liberum in locis quae adit, habet accessum expensas, si non omni ex parte liberas dabit, saltem maximam partem suppedietabit. Non deerunt principes, qui pro Dei gloria subsidiis pecuniae suppetias ferent missioni nostrae, Deus qui corda regum manu tenet, corda magnatum dirigit, ut pro viribus suis et liberalitate necessitatibus missionis nostrae succurrant. Societas scientiarum Brandenburgica de propaganda fide non minus quam de scientiarum augmento sollicita pro liberalitate protectoris sui, ex fundo locupletissimo ad pium nostrum usum necessaria subsidia sub spe magni et aeterni animarum lucri ex parte procurare non detrectabit. Nobiles patritii et divites mercatores tum missionis nostrae tum Pastorum suorum persuasionibus excitati pro divitiis sibi a Deo concessis quotannis certam pecuniae summam pio huic usui destinabunt. Erexere Hispani Societatem Americanam, stabiliverunt Belgae Societatem Orientalem, quid si concurrerent optimi ex negotiatoribus, quibus pietas et religio cordi est, qui erigerent Societatem spiritualem, qua pari ardore intenderent animarum lucrum ut dictae societates negotia terrena, et quilibet

e divitiis suis exiguam pecuniae summam in Dei gremium deponerent, persuasum mihi habeo, si haec societas nostra vel unicam tantummodo lucrata fuerit animam, quod majori redeat pretio onusta navis, quam illarum societatum, quae vel auro vel argento vel gemmis vel delicatissimis aromatibus onusta redit classis; lucrum sanctuarii bilanx discriminabit, supremus rerum arbiter tandem iudicium feret, et quae societas pluris et majoris ponderis divitias fuerit lucrata ad littus illud aeternitatis examinabitur. Collectae per singulas regiones magistratuum Evangelicorum, qui promotionem gloriae divinae et Evangelii propagationem necessariam ducunt, indigentiae missionis nostrae succurrent. Pecunias colligimus, quoties vel templum aliquod extruendum, quis pro templo spirituali in cordibus ethnicorum erigendo Eleemosynam denegabit? Pauperes alimus magnis nonnunquam sumptibus, quis ad revera pauperes ethnicos e leonis infernalis rictu eripiendos exigua subsidia dare detrectabit? Contribuimus, quoties bella gerenda ad hostes debellandos; quis ad debellandum Satanae regnum et miserrimas animas a damnatione liberandas parva Eleemosyna pia nostra juvare conamina recusabit? Conscientias testor Christianorum! mammonis mancipia ad hanc rem nobis coram extremo iudicio respondebunt. Reductio expensarum minus necessariarum thesaurum sanctum missionis nostrae mirum quantum augebit; meum non est hic rimari, quid ad necessarios, quid ad minus necessarios et ad otiosos, planeque inutiles adhibeatur usque. Conscientia dictabit principibus, nobilibus et negotiatoribus, annon hic et illic quid sine damno et detrimento status, honoris, et commoditatis decurtari possit, si quid decurtaremus de superbo vestitu, miseram veste iustitiae destitutas facilius vestiremus animas. Si minus delicate viveremus et ferculorum apparatu superfluo onustas reformaremus tabulas, si, quod potui male sano impenditur, detraheretur, et pio nostro destinaretur usui, ne laetum illud maximi remuneratoris *προσφώνησα* nobis polliceremur: esurivi, et vos me cibastis etc. Huc referre licebit otiosorum salaria. Non quidem omne paupertatis solamen denegamus ministris de bono publico bene meritis et emeritis: ferre tamen quis poterit carum nimis otium eorum, qui plane nil egerunt Ecclesiae aut Rpe. proficuum, et tamen lautis saginantur praebendis, inutilia terrae pondera, otiosa campi pecora, ut taceam Canonicatus, quibus otiosorum beatus tam pretioso redimitur pretio, ut et bona Ecclesiastica olim piis usibus destinata, secularibus nonnunquam et profanis usibus impensa, quam profanationem ferre olim non potuerunt Reformatores nostri, nec ferent hodie pia pectora atro potius quam albo lapillo notandam. Poenae Fiscales piis hisce usibus impendi poterunt, luant superbi, qui ultra conditionem et statum suum fastuoso sese extollunt vestitu, et supercilium deponere discant, mulctam luant blasphemi, nominis divini et rerum Sacrarum profanatores, luant rixosi, et pruritum carnis dediscant, luant voluptuosi, qui famae maculam, et conscientiae frivole temunt stigmata, luant fures in re potius, quam in aere, quotquot illegitimis

mediis vel bonis proximi inhiant, vel villicationis qualiscunque rationes reddere nequeunt.

Methodus Conversionis, quamvis per omnia normae Apostolicae maxime propter defectum miraculorum, et aliorum donorum extraordinariorum accommodari nequeat, nec partibus quibus (?) absolutae praescribi Missionariis nostris possint regulae, propter differentias tum locorum tum personarum, sed cujusvis pietati res haec sacra committenda sit, aliquid tamen praemonuisse extra Sphaeram non erit gradus conversionis observandi, exemplo Pontificiorum, qui praedicationem Evangelii inchoarunt, in India continuarunt, felici cum progressu, utut lamentabili eventu in Japonia, et tandem etiam ad Chineses propagaverunt, sic et nobis per gradus eundem erit; Pontificii pedem fixerunt Goae, quaeramus nos metropolin sacri commercii Caesaris benevoli consensu in finibus Moscoviae, in qua stabilienda non solum negotiatio, altera societatis nostrae manus, sed etiam schola et seminarium pro consummandis Missionariis instituenda, ad quam solidis studiis alliciantur principum accolarum Filii, qui proselyti Christiani facti, ad populum patrium excurrentes visa et audita referant, et animos praeparent ad recipienda Evangelii semina. A Magistratu et praefectis urbium libertas docendi impetranda tum principis nostri legatione, tum accolarum intercessione tum societatis nostrae liberalitate, quae per diplomata protectoris fundanda, et poena in eos statuenda, qui quavis molestia vel Missionarios nostros affecerint, vel cursum Evangelii ullo modo sufflaminare fuerint ausi. Piis colloquiis et conversatione modesta animi devinciendi maxime primorum Regni, quorum unus Christo lucrifactus plures exemplo suo secum adducet. Moratiores populi prius invadendi, quos naturae lumen cultiori doctrinae jam fecit attentos. Nec oberit nostrae Sinensium, quam intendimus, conversioni, si praecepta Ethica Confutii reformata, et in scholam Christianam, in quantum cum legibus naturae et scripturae conveniunt, adoptentur. Ethnicis quos adire dabitur honesta quaevis offeruntur officia, convincuntur, quibus modesta mens sedet de amore, quo erga eos flagramus, quem probamus abnegatione Patriae nostrae, devoratis itinerum molestiis, non divitias, nec honores, nec mundani quippiam quaerentes, sed unice animarum lucra, et eorum quos alloquimur aeternam salutem. Data quavis occasione colloquiis aliquid de Deo et rebus divinis immiscendum, a curiosis quaestionibus, debiles adhuc conscientias fatigantibus abstinendum, et ad illorum interrogata simplicia et pia responsa reddenda. Concionibus veritas propaganda in aedibus privatis, in biviis et locis publicis, ubi concursus populi observatur. Ii qui Bonziis suis, quoties verba faciunt, et nugae vendunt, benevolas aures praebent, non detrectabunt peregrinos audire de rebus divinis naturae legi consonis, et aeternam vitam concernentibus. Prudenter tamen, et quae ad pietatis praxin, post simplicem primorum Christianismi fundamentorum cognitionem pertinent, tractabit Missionarius noster, habita ratione loci, temporis, et personarum, ante omnia praejudicia de antiquitate Gentilismi, de novitate Christianismi maxima exulantis Evangelii obstacula extirpare

conabitur Concionator. Catechesin ante omnia tractabunt Missionarii nostri, unica enim Catechesatione plus praestabunt quam pluribus concionibus, nam per quaestiones et responsa animi sensa facile cognoscimus, si nos non perceperint Catechumeni, instamus, et aliis aliisque verbis eandem volumus veritatem, donec cordi sit impressa. Si dubia habent, solvimus, ad quaestiones humaniter respondemus, et ut plura adhuc serio desiderent, excitamus et licito quovis modo abstergimus taedia, in id summatim intenti, ut discant credenda, facienda et oranda. Cantiones quoque suum habebunt in opere Conversionis usum, si igitur Psalmi vel ex cantilenis nostris optimae, in linguam convertendae nationis transferrentur, et traderentur cantandae, non solum veritas firmius impressa, haerebit; verum etiam demulcebuntur, et dulci suada trahentur auditorum animi, pia excitabitur devotio, et fides ad sacram posteritatem propagabitur majori memoriae tenacitate, quam Ethnicismi somnia, quorum adhuc hodie multis in locis apud plebem vix ac ne vix quidem debilibilia in antiquis cantilenis rudera extant, quod exemplorum inductione fusius olim probabitur. Opera Charitatis Gentilibus praestita vim habent animos sibi devinciendi, et benevolentiam populorum captandi, maxime aegrotorum cura, et moribundorum visitatio. Docuit Missionarios Pontificios experientia, quod non facilius sint convincendi, quam quando decumbunt miseri, ubi discunt vanitatem rerum mundanarum, et eo attentiores redduntur ad vitae aeternae meditationem, et magis promptos se exhibent, ad salutaria accipienda consilia, imo qui per vitam luciferi non poterunt, dirissimi Christiani nominis hostes et persecutores, tamen morbo fracti, ad portam aeternitatis *αλληλοκαρδιαν* suam dolentes, Jesum Victorem agnoscentes ipsi nomina dederunt. Tandem et Sacramentorum administratio erit confirmatio foederis, quibus novi nostri proselyti ad castra Christiani euntes fidem jurare tenebuntur. Haec vero Sacramenta, initiationis alterum, alterum corroborationis quibus quando et quomodo administranda tum Theologia, tum prudentia, tum praxis missionarios nostros docebit.

Obstacula vero non deerunt, quibus infernalis et Stygius ille hostis cujus res agitur destructione regni sui, per instrumenta sua quicquid contra molietur, ut cursui Evangelii obicem ponat, et quodcumque per gloriam Dei tentabitur mille impedimentis sufflamina conabitur hostium Christi formidabilis triga Satanas, mundus et caro. Si igitur tempore pacis de bello cogitandum, utile erit nobis bella Jehova aggressuris praemeditari molestias, ut vel tela praevisa minus noceant, vel propositis persecutionibus humilitatem discant Missionis nostrae Candidati, nec quicquam praeter optatas cogitantes victorias nimium efferant animum, vel vanam coram mundo gloriam quaerant, sed de necessaria armatura sibi prospiciant, ut tandem duriora quaevis majori animo perferre possint. Obstacula, quae praesagit animus primis ductibus delineata, erunt sequentia. Theologorum nostrorum dissensus conversionem Gentium vel negantium vel dubitantium. Negabunt nonnulli sperandam esse universalem conversionem, idque vel ex diversitate principii, vel ex male in-

tellectis Scripturae S. dictis, quae propositum dissuadere videntur ut Jerem XIII. Aethiopem cutem non mutare. Matth. VII. Margaritas porcis non esse objiendas, Act. XVI. Spiritum prohibuisse in Asia praedicare, Matth. XXIII. Redargui Phariseos terras et maria circum-euntes, ut proselytum faciant etc. Dantur Theologi, et quod dolendum inter Protestantes, qui *ὑπόθεσιν γυλιότροντες* et *τῶν πατρώων παραδόσεων* non minus de gentium conversione quam de judaeorum rigidum nimis ferunt iudicium; suffocandos esse tales proselytos statim post conversionem, si boni quid sperandum; qui scripta Prophetica tractant ut arborem vetitam, quam vel intueri attento oculo vel spei folium decerpere capitale. Sunt, qui putant promissiones propheticas de gentium conversione agentes jam dudum apostolorum temporibus impletas, vel tanquam individuum vagum posthabitis temporum oeconomis omnibus existimant temporibus accommodandum, quod κατ' ἐξοχὴν et in emphasi sua sub ultima periodo impletum iri credimus, et qui novitatis temerariae accussant eos qui sub finem N. T. meliora sperant tempora, eosque praecipiti praeiudicio mox Chiliasmi et nescio, cujus haereseos reos agunt, qui regnum in hisce terris gloriosum sperant. Prout vero nostrae provinciae nec virium est, placita et sententias Theologorum concentrare, et omnibus, ut sententiae nostrae subscribant persuadere, optandum tamen esset, ut in timore Dei Spiritum S. in Prophetis attente audirent loquentem, ac in charitate ac pace ferrent alios qui sententias suas solidis Scripturae dictis superstruunt antiquitatis consensu novitatis maculam abstergunt, et pia sequuntur vestigia Virorum Dei de Ecclesia optime meritum, et de Ethnicis, quibus meliores nos olim non eramus, mitius sentirent. Novimus quidem Aethiopem cutem non mutare, ast tamen animum exemplo Candacis Act. VIII. Margaritas porcis non esse objiendas credimus, ast tamen nec canibus prohibitam colligere particulas e mensa Dominorum decedentes, more Cananaeae, Matth. XV. sub finem V. T. quid non licebit sub finem novi T. in quo sibi, sublato pariete intergerino Ecclesiam ex omnibus populis colligere decrevit Christus. Scimus Spiritum prohibuisse ne Paulus in Asiam transiret pro tempore, qui tamen Paulo et Apostolis, et viris omnibus Apostolicis mandavit, ut irent in totum mundum. Phariseos et eorum sequaces atro carbone notandos censemus, qui vel spe lucri vel gloriae mundanae aliorum salutem quaerere praetendunt, et propriam negligunt, vel non filios Dei, sed filios faciunt Gehennae, sequaces non Christi, sed sectarum, Scripturae S. contrariarum, sed his et aliis negantium objectionibus alibi fusius satisfiet. Dubitantium de universali gentium conversione sententiae subscribent alii, qui quidem optandam, sed vix sperandam eam putant. Laudant quidem pia desideria et intentionem, sed de successu desperant, propter obstacula a parte Dei, et a parte conversorum. Credimus, inquit, conversionem futuram gentilium omnium, sed tempus ignoramus, et modum, quo Deus tantae molis opus expediet. Verum est, nos annum et diem ignorare, quae tempora stricte velle assignare temeritatis esset, interim tamen tempus Ethnicorum a

Prophetis habemus assignatum, et apud plurimos theologos pro confesso stat sententia, quod sub initium septimae periodi haec conversio sit speranda, et quod ultimum illud N. T. tempus, si non jam coeptum, saltem instet, quo septimus Angelus suam buccinabit tubam. An ergo putaremus Deum spretis mediis ordinariis hanc conversionem per mera miracula fore expediturum, vel magnum illud opus unius esse anni, et non potius per gradus et media ordinaria consummandum. Equis igitur aegre ferret ad praeparatoria regni Christi se accingentes, et signa temporum non praepostere habentes pro viribus et vocatione sua et donis a Deo conceditis viam Regi gloriae adventanti, ad tot mandata totidem legitimae vocationis symbola aperientes. A parte convertentium non minora (inquiunt) occurrent obstacula ubi Patroni et Principes! agent, depravatis hisce temporibus qui animos mille negotiis et curis intricatos ad hoc opus applicabunt? R. Hos Deus dabit et excitabit, ille qui corda Regum ut rivulos flectit, et quo vult, dirigit. Ubi Principes erant temporibus Apostolorum, quibus tamen Christi trophaea, ultra Romanorum extulerunt aquilas. Is qui Ecclesiae dedit Constantinos, Theodosios, Carolos Magnos, mediis et spississimis Ethnicismi tenebris, et nobis Patronos excitabit, proposito nostro faventes, tali tempore, quo felici rerum exitu pia conamina secundare promisit. Et porro an de pietate Principum omnium nostri temporis omnino desperandum? quasi non haberet Deus amplius Reges de salute Ecclesia magis, quam de rep. sollicitos: Sed curam omnem Zyonis parietibus palatiorum suorum et ditionum angustis cancellis includentes vel tam flocci pendentes miserimas animas (vias Deo monstrante et media proficua assignante) ne lapidem quidem extra terras suas pro gloria Dei e Ecclesiae incremento movere velint. Absit ut de tot Ecclesiae nostrae nutritiis tam abjectas alamus cogitationes. Sed unde pecuniam sumimus, et subsidia ad tam pretiosam missionem adornandam necessaria? inquiunt; qui de novis expensis loquitur, in aulis Principum sardis fabulam narrabit. Deus providebit. Superius assignavimus sumtos necessarios comparandi media, plura et adhuc faciliora dabit Deus et dies, quid si concurrerent unanimi consensu Principes Protestantium, et alerent quivis quotannis aliquot alumnos in Convictoriis suis seopo nostro sese accommodantes, an non concurrentibus singulorum Principum Missionariis exercitus Christi Diabolo formidabilis sine ullo reip. damno formari poterit. Et quid si Pastores se huic operi promovendo rite devoverent, annon quisque tum concionibus suis persuasoriis, tum privatis adhortationibus ad auditores locupletiores certam pecuniae summam ad pium nostrum montem derivare poterit. Novi fratres, quibus gloria Dei, et Ecclesiae incrementum cordi est, qui, utut nullas in hoc mundo nec quaerant, nec habeant divitias, tamen ultro se obtulerunt ad promovendum hoc pii moliminis opus, ita ut quivis aliquot millia thalerorum huic usui destinata colligere sibi confidant, quidsi horum laudabile exemplum imitari vellent et alii quam facile maximis in emporiis et civitatibus a bonis civibus emendicare pecuniae summam possent!

Quot dant negotiatores, qui jam per pravos debitores, jam per itinerum pericula, jam per infidos servos graviora patiantur damna! an tales detrectabunt pro Dei gloria exiguam impendere pecuniae summam, qui aliquot millium damna toties forti tulerunt animo. Revera ubi vel scintilla superest pietatis, quisque ex optimis pro ratione benedictionis aliquid pio nostro usui destinabit. Sed unde Subjecta capacia sumenda? Uxoratos detinebit Liberorum blandities, frangent illum gratae Conjugis mixtae preces. Fateor equidem hanc unam e maximis esse tentationibus, et propterea consultum est, ut tales seligantur, qui istius modi non expositi sunt remorae, interim vocante Deo, quis non et hac in parte tenerrimos abnegaret affectus, secus qui faceret, plane dignus cui Christus acclamaret: Quicumque Patrem et matrem, fratres, sorores, addo et Liberos non abnegat, me dignus non est. En uxor tua est Ecclesia convertenda, Liberi tui in ulnis tibi apportabuntur. Tuos non temere deseris, sed ad majora avocarís, et familiae tuae, si eam more Patriarcharum patriam relinquentium per itinerum difficultates tecum ducere non poteris, Jehova iis providebit. Porro amor patriae dulcis soli deterrebit multos, qui alias sat capacitatis haberent, ad digna in conversionis negotio apud externos praestanda officia. Ad quid exuremus (dicent) ad ultimos mundi angulos, qui in patria ad honores et divitias paratam jam videmus viam faciliori negotio calcandam, et periodo magis constanti terendam. Pudeat severa Theologum talia carnis et sanguinis obstacula saltem cogitasse, ibi patria, ubi bene, et ibi bene, ubi causa Dei agitur, etiam patria cum Abrahamo, vocante Deo, abneganda. Abjecta nimis sunt et vilia ingenia, quae non nisi patriis se vivere posse putant laribus, quasi Deum nobis non haberemus praesentem, et in iis a patria dissitis regionibus, et aequae facilis ad coelum ubique locorum non pateret aditus. Propterea studiis incumbimus, ut Deo serviamus, ipso ita jubente, et extra patriam inter Garamantos et Indos. Qui honoribus et divitiis parandis unice inhiant, sprete gloriae divinae promotione, vocante Deo peregrinis in locis neglecto Ecclesiae incremento, et posthabita Evangelii inter miserrimos Ethnicos propagatione, videant ne ipsis tanquam idololatri Mammonis et voluptatis tandem in ultimo iudicio accelemetur illud: Esurivi et non cibastis me. Ulterius instabunt dubitantes, et objicient difficultates obvias linguarum et locorum, dicent: per quot loca transeundum, tot linguarum notitia erit comparanda. Et quamvis praeparati fuerint Missionarii multis annis, quis tam exacte linguas et maxime sinicam, inter omnes alias difficillimam discere poterit, ut prompte loqui et animi sensa exprimere possit. Aliujus esse ponderis et hoc argumentum, lubenter fateor, ast non tanti, ut deterreere nos possit; tot linguae perfecte in patria discuntur peregrinarum nationum, quarum regiones tamen nunquam adire datum est. Annon ergo linguis Orientalibus imbui et digne praeparari poterunt missionis nostrae Candidati; linguarum difficultas non impedit negotiatores, qui merces quaerunt auro inhiantes, et ad animas Christo lucri facien- das intelligere peregrinas nationes nolumus, sic filii mundi prudentiores

erunt filiis lucis. Et posito quod ad perfectam linguae cognitionem nuda informatione quis pervenire non possit, annon alia supersunt media, quibus et iis in locis, quos adimus, linguarum praevia qualis (?) cognitio consummari poterit, si in finibus Moscoviae institueretur Seminarium, in quo proselyti aliquot linguae gnari nostros Candidatos informarent, methodo Patrum Goensium, quam facile et haec tolleretur difficultas. Praeterea fidi missionis interpretes haud parum sua succurrent opera, quod ore diserto proferri nequit, in principio tamen exprimet lingua, donec tempus, industria, praxis nostros docuerit Missionarios, quod Pontificios non majori linguarum apparatu instructos. Sed nova circa conversionem gentium occurrit difficultas missis omnibus istis difficultatibus praeliminaribus, coelum et terram et tartara contra movebunt hostes, partum hunc primo in balneo ut suppriment. Non deerunt inter politicos tecti hujus propositi nostri hostes, qui totum hoc opus extra Sphaeram activitatis Principis sui esse judicabunt, exponi hac ratione regiones tot periculis non necessariis, subditos enervari, nummos extra patriam dilapidari, curam proprii populi negligi, Rem ipsam plurimis saluti Reip. adversis consequentiis esse obnoxiam, eventum esse dubium, et tandem nil exinde ad nos redundare commodi quod Principum interesse commoveat. Sic judicabunt tales, qui ita Deo et Principi serviunt, ut Diabolus non offendatur qui rationem status monstrum illud horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum unice adorant, et Dei causam non agunt. Cordatiores tamen excitavit, et excitabit adhuc Deus Politicos, qui rem altius pensitantes saturia magis dabunt consilia, et pro prudentia sua et pietate forte obviis morbis remedia dabunt, vel ad minimum cum Gamaliele dicent: Si opus illud a Deo, nos non impediemus, si vero inventum humanum sponte ruet. Act. V. Inter hostes nomine Christianos quoque non infimi erunt Pontificii, maxime Jesuitae, qui in China rerum potiti sat scandalorum objicient ad cursum purioris Evangelii sufflaminandum, excitabunt contra nos Principes, quorum benevolentiae se insinuarunt, et missionarios nostros reddent quovis modo suspectos; excitabunt plebem, nova monstra praedicari clamantes, et pro retinendo Spiritualis lucris monopolio pro more omne movebunt saxum. Et haec tela praevisa nocebunt minus, causae nostrae bonitas triumphabit, quid non contra minabantur Papa, cum suo Clero et tot Principes seculares tempore reformationis, et tamen Deo dante, causa Evangelii triumphabat, Deus quoque illos in locis fidos purioris Evangelii servos conservabit, tuebitur, et corroborabit, et causae nostrae excitabit Patronos, etiam inter adversarios, a Jove Vaticano remotos, Viros Deum timentes qui animarum salutem unice quaerentibus invidebunt, imo faciliorem speramus potius animarum messem . . . Ethnicis per Pastores Ethnicos magnam partem jam depurgatis, maxime apud Sinenses populum solidioris scientiae avidum, si Biblia in Linguam Sinensem translata ad Christianismum jam conversis traderentur legenda. His et aliis Conversionis mediis concurrentibus, ne quidem Diabolus ex inferno impedire poterit, quominus ad maturiorem perveniant frugem, quos Deus vult reformatos. Inter Ethnicos hostes numeramus Principes, in quorum terris religionis mutatio intenditur, omnem mutationem, qui putant noxiam, et hanc statui suo minus proficuum judicabunt, adeoque missionem nostram habebunt suspectam, et inhibitionibus progressum omnem impediunt potius, quam promovebunt. Idem et jam dudum Pontificiis erat metuendum, tamen non detertere potuit eos obstaculum. Dantur viae, quibus Principum Ethnicorum animi, si non nostras in partes trahi, saltem procliviores reddi poterunt, ut causae nostrae faveant convicti, quod licentia Evangelium in ditionibus suis praedicandi res sit toti regno utilis. Ast sistit se nova exercitui Jehovahae debellanda hostium turba, quam formant Sacerdotes Ethnici. Eo-

rum enim interest regnum Diaboli conservare. R. Deus, ejus bella gerimus et horum machinationes avertet, et tela in propria eorum vibrabit pectora, praesente actionibus nostris Deo, sat praesidii nobis erit tutela ejus, si hactenus conversorum avertere non potuerunt animos, avertendis adhuc convertendorum . . . impares erunt, etsi eorum ilia rumperentur. Tandem, inquit, obstat a parte Convertendorum gentis genium, intentioni nostrae minus secundum; est enim ut plurimum Ethnicis intellectus stupidus, judicium imbecille et inconstans, voluntas lubrica et tota natura rudis, infida, ingrata, honoris, pudoris inscia, vitiiis tota, quanta sepulta etc. R. Medico non indigent sani, sed aegroti, hic scopus Evangelii ut ad meliorem redigantur frugem et vitia naturae dediscant homines, quibus praedicatur, et vitae probitate mandatis Christi reddantur conformes, nec adeo spissae et sibi semper similes tenebrae Gentilismi incumbunt omnibus, dantur nationes prae aliis moratiores, ut ager agro praestat, sic gens gente; Deo illuminante sedula informatio corrigit, quos natura barbaros genuit; et quid dicam Barbaros, cum nos ad gentem tendamus, quae consensu Geographorum jam dudum excelluit prae omnibus nationibus terrae ingenii acumine et ingenii donis, multis in scientiis et artibus Europaeos superantem, sive enim spectes legibus solidis superadificatam politiam, et regiminis formam, sive scientias tum naturales, tum morales, sive sagacitatem, in inveniendis rebus tum politicae tum oeconomiae proficiuis; itidem genti innatum sciendi ardorem, nec non exultantem populi in conversatione modestiam, humanitatem et ad legis naturalis officia quamvis pronam inclinationem, est, quod nobis plura promittamus, promovendo aeterni ponderis opere praesidia, quam sunt obstacula, successu temporis, Dei benedictione et Missionariorum prudentia Theologica facile tollenda.

Demum ne prodromi Leges praeliminare hoc nostrum transgrediatur opusculum, sed missioni nostrae Evangelicae colophonem imponamus: verbo dicendum, quid ad conversorum, quam speramus, conservationem faciat. Media conservantia sunt sequentia. Constans principum nostrorum propositum et societatis cura omne id contribuendi, quod ad fundatarum novarum Ecclesiarum conservationem faciet, tum consilii, tum auxilii et saepe iteratis legationibus maxime injuncta, et seriis mandatis confirmata concordia inter constituendos in conversorum terra praesides et Pastores, ut et novorum Missionariorum successiva praeparatione et emissionem servorum ad vineam Dei, Zelo haud interrupto, continuanda. Pastorum Ecclesiis conversis datorum labor indefessus in informatione, juventutis et adultorum, per Catechisationes et conciones, item adoptio Sinensium et aliorum Orientalium, digne praeparatorum ad ministerium, tandem et conversationis humanitas, operum charitatis exercitium, vitiorum fuga, vitae inculpabilitas, et disciplina moderata nactam conversionis spartam tuebuntur. Porro fidelium omnium in illa *διακονία* ethnica pietas et ardor cognitam veritatem quovis modo licito ad posteros propagandi, patientia Christiana in omnibus aerumnis, et supervenientibus durioribus fatis constans propositum, mundana quaevis generosa et Deo devota mente abnegandi, immo et Deo sic jubente, agnitam veritatem maximis in periculis vitae contra eam habendi, et sanguine martyrii obsignandi, plantatam firmabunt Ecclesiam. Tandem preces Ecclesiae nostrae unius sanctae Catholicae, piorum omnium indesinentia suspiria, quibus cor paternum Dei dies noctesque fatigabimus sub clementissimo Dei omnipotentis nostri protectoris umbone integrum hoc aeternae molis opus coronabunt.